

Sabbatum religiosissime observabant, bonos mores ac virtutes colebant, totique se ad studium legis applicarunt. Ad religionem, sensum atque unitatem nationis fovendam conventus celebrabant, ubi lex praelegebatur et ab eruditis exponebatur. Conventibus illis seu scholis praeyerant legisperiti (sopherim), magna ex parte laici, qui dehinc duces gentis suae in rebus religiosis, politicis et privatis facti. Sacerdotes enim et levitae in exsilio muneras expertes a legisperitis superati, et etiam republica restituta fere ad cultum divinum peragendum coarctati sunt.

*Post exsilium variae scholarum Judaicarum aetates distinguuntur.*

1. — *Prima aetas legisperitorum, sopherim* (שָׁבֵת = γραμματεός, scriba) antiquorum, cujus duae distingui possunt periodi.

*Periodus prima legisperitorum Machabaeis antiquorum, a captivitate usque ad libertatem populi vindicatam. Tempus synagogae magnae.*

Post captivitatem *Esdras et Nehemias*, ille religiosam magis, hic politicam populi vitam restituerunt. Esdras »scriba doctus« (Esdrae 7, 6. 10. 11. 8, 16. Neh. 8, 1. 4. 13. 12, 26. 36.) libros sacros colligi, emendari, describi curavit; imo multi canonem librorum sacrorum ab eo publica auctoritate clausum esse dicunt, quod tamen verum esse non videtur. Idem Esdras (vel *synagoga magna post eum*) a rabbini dicitur etiam scripturam quadratam (merubba') pro antiqua Phoenicia induxisse. Deinde Esdras et Nehemias ad religionem ac rempublicam stabiendi et novam liturgiam constituendam consilium instituerunt, quod instar supremi magistratus permanens *synagoga magna (keneseth haggedolâ)* vocabatur. Praeses hujus erat post Esdram summus pontifex, membra (120), ut videtur, capita familiarium sacerdotalem et aliarum item legisperiti praecipui.<sup>1</sup> Hac aetate etiam quidam libri inspirati in Palaestina scripti sunt. At praeter *synagogam magnam scholae legisperitorum (beth hammidraš)* viguerunt, ubi studia legis continuata sunt atque exculta. In minoribus quoque urbibus *synagogae parvae magnae* illi subjectae ortae sunt, in quibus doctrina legis et cultus divinus exercebantur. Ibi *Torâ* et prophetae per partes (parašoth et haphtaroth) legebantur et (propter usum linguae Hebraicae obsoletum rerumque antiquitatem) lingua vernacula (Aramaica) explicabantur, novisque vitae conditionibus applicabantur. Imprimis *Torâ* maximi habebatur. Sed Legi et prophetis mox addita est traditio, a Moyse repetita, ex qua novae deductae sunt normae, quae populum Judaicum, jam gentilibus permixtum, ab his sepe rituum, morum atque observantiarum separarent. Interpretationibus ac normis a legisperitis editis *synagoga magna* vim legis addebat, quae etiam controversias scholarum dijudicabat.

<sup>1</sup> Jam Moyses consilium e 70 senioribus constituerat, quod tamen tempore regum cessasse videtur.

#### SECTIO SECUNDA.

### Historia exegesis biblicae.

#### CAPUT PRIMUM.

#### Historia exegesis apud Judaeos.

##### § 124.

#### Historia scholarum antiquarum.

Historia exegesis Judaicae est ipsa historia theologiae atque omnis vitae spiritualis Judaeorum, ipsarumque scholarum. Patria enim eorum exsilio atque excidio urbis eversa, Judaei religionem et vitam nationalem continuarunt, quarum centra et organa scholae factae sunt. In his non tantum partes theologiae non distinguēbantur, sed ipsa theologia cum jure civili (utique privato) et scientia profana penitus confusa est, omniumque fundamentum erat lex, primum Mosaica, postea etiam tradita. Ita omnis Judaeorum scientia usque ad tempora recentissima erat theologia, imprimis exegesis.

Duae autem aetates theologiae atque exegesis Judaeorum apte distingui possunt. Prior est aetas scholarum dominantium, a captivitate Babylonica usque ad collapsum scholarum orientalium circa an. 1000. post Christum; quando scientiae maxime ore traditae in scholis doctorum auctoritate publica praeditis vigebant. Secunda est aetas doctorum dispersonum, ab anno circ. 1000. post Chr., quando disciplina et auctoritate scholarum sublati privati doctores et opera scripta praevalent. Nunc de prima aetate acturi sumus.

De scholis autem Judaeorum *ante exsilium* pauca scimus. Verisimile est sacerdotes et levitas scholis, ubi lex tradebatur, praefuisse. *In exilio* Judaei alioquin ad Deum ejusque legem reversi, amissa patria et vita politica, cultuque divino publico abolito, spe patriae ac religionis restaurandae a prophetis predictae (Jer. 29, 10. sqq.) erigebantur.

Initio saeculi III. a. Chr. *Hellenistae* orti sunt, ideas moresque Graecorum amplectentes. His autem se opposuerunt *chasidaei* (*chasidim* i. e. pii), viri avitae religionis, patriae morumque antiquorum studiosi. Dehinc scholae non tantum orthodoxae religionis ac morum, sed etiam amoris patriae sedes, *palaestraeque partium politicarum factae sunt*, quarum potestas in omnem vitam Judaeorum publicam magis magisque invaluit. Saec. III. a. Chr. etiam in *Aegypto* scholae, synagogae ac synedrium Alexandriae condita sunt, et litteris Graecis influentibus studia (historia, poesis et philosophia imprimis Platonica) et simul interpretatio Scripturae allegorica florere cooperunt. Ibi praeter quosdam libros canonicos *versio Alexandrina* a LXX interpretibus confecta est, et nonnulli libri apocryphi etiam Scripturam interpretantes scripti. Primo saeculi II. a. Chr. dimidio in Aegypto vixit *Aristobulus* philosophus Judaeus peripateticus, qui interpretationem Pentateuchi allegoricam edidit Ptolemaeo VI-o Philometori (185—146.) dedicatam. Aristobulus est primus, qui λόγον scil. verbum Dei personale memorat. Pentateuchum Moysis fontem esse dicit melioris doctrinae Graecorum.

*Periodus secunda* legisperitorum a tempore Machabaeorum usque ad tempora apostolorum (ab anno circ. 150. a. Chr. — circ. 50. p. Chr.).

Tempore Machabaeorum in locum antiquae synagogae magnae ortum est *synedrium* 70 membrorum, cuius antiquissima vestigia sub Joanne Hyrcano I. (135—106.) inveniuntur. Studium legis antea ad finem practicum institutum a tempore Herodis M., partes legisperitorum in synedrio tollentis, factum est theoreticum, seu gnosis facta est sui ipsius finis. Saeculo I. a. Chr. (si non ante) legisperiti vocabantur *chakhamim* et *daršanim* (חָכְמִים דַּרְשָׁנִים) sc. sapientes et exegetae. Praecipui doctores legis etiam assessorum synedrii erant.

Hac aetate invaluerunt *sectae vel factiones* a Josepho Flavio descriptae, et partim ex evangeliis notae, quarum tamen origo saltem usque ad tempora hellenismi ascendere videtur. (Josephus Fl. sub principe Jonathan 161—143. primam illarum mentionem facit. Ant. XIII. 5, 9. XVIII. 1, 2—6.) Sectae illae sunt: a) *pharisaei*, qui traditionem acceptabant, imo eam mox Legi praeferabant, externas observantias maximi faciebant, integritate morum et spiritu Legis neglectis. Justificationem per descensum e semine Abrahae docebant. Zelo religionis et patriae conspicui magnam apud populum habebant auctoritatem. Pharisaei a Herode M. ex Babylonia vocati erant Bathyræi. E secta pharisaeorum prodierunt etiam zelotae. b) *Sadducaeai* erant factio sacerdotalis et aristocratica, traditionem rejiciens, imo rationalismum atque epicureismum professa, moresque Graecos secuta. Cultum publicum

maxime urgebant et in synedrio ac regimine primas habebant partes. Ad sadducaeos pertinebant etiam Herodiani et Boëthusaei. c) *Esseni* pauci in pagis ac desertis vitam communem et asceticam degebant, agriculturam atque opicia exercabant, et multas lustrationes ac ritus ethnici observabant. S. Scripturam allegorice interpretabantur.

Praecipui doctores saeculi I. a. Chr. sunt decem, seu quinque paria simul viventia. Horum ultima duo paria sunt celeberrima, scilicet:

Šema'jā (apud Joseph. *Sameas*) et *Abtaljon* (ap. Jos. *Pollion*), qui initio regni Herodis M. vixerunt. Traditionem Scriptura probare adnisi sunt.

*Hillel* (*Hazzagen*) et Šammaj, uterque pharisaei et synedrii capita circa tempus nativitatis Christi. Hillel ex Babylonia oriundus (nat. 75. a. Chr. † 5. post Chr.), vir moderatus, mansuetus, practicus, quem nonnulli ad essenos inclinasse dicunt. Legem Mosaicam magis quam traditionem secutus, ex illa traditionem probare conatus est, ad quem finem etiam septem regulas hermeneuticas constituit; ipsam autem traditionem Palaestinensem Babylonica locupletavit. Nimiae separationi pharisaicae inimicus, multos etiam sadducaeos ad scholam suam allexit. Liberiori ejus ingenio adversabatur Šammaj, severus, durus, vehemens et fanaticus, magis traditioni quam Legi et probationi biblicae insistens, ad zelotas inclinatus. Tempore Hillelis et Šammaj (vel saec. I. p. Chr.) parvum calendarium festorum *Megillath Ta'anith* ortum est. (Saepius editum e. g. a. Jo. Meyer, Hamburg, 1724.)

Eodem tempore vixit in Aegypto *Philo* († 39. post Chr.), interpretatione Bibliorum allegorica et operibus ad historiam ac religionem Judaeorum pertinentibus celebritatem nominis consecutus.

2. — *Secunda aetas tannaorum* (*tannaim* aram. תנאים = discentes, doctores sc. traditionis, halakhistae, hebr. šonim) ab anno circ. 50. usque initium saeculi III. post Chr. Tannaei a Judaeis testes antiquae traditionis in scholis conservatae habentur, ideo permagnae sunt auctoritatis. Initio hujus aetatis scholae adhuc et synedrium Hierosolymis florebant, Eversa urbe scholae in aliis urbibus erectae centra Judaeorum facta sunt, quibus unitas gentis dispersae ac religionis populum a gentibus separantis conservata, spes Messiae fota, studiumque legis exultum est.

Prima ejusmodi schola magna fundata est *Jamniae* (*Jabhnē*). R. Jochanan ben Zakkaj, e schola Hillelis, belli contra Romanos dissuasor ex urbe obsessa dolo (in loculo) profugus, ante expugnationem urbis a Vespasiano facultatem accepit Jamniae scholam fundandi. Post eversionem urbis Jamniae etiam synedrium restauratum est. At cultu publico sublato sacerdotes omnem potestatem et auctoritatem perdide-

runt; etiam sadducae disparuerunt. Loco eorum legisperiti pharisaei, rabbini (rabi) vocati, doctores ac duces populi et magistri synedrii facti sunt. Caput scholae erat etiam caput synedrii et princeps populi, qui paulo post titulum *patriarchae seu principis (nasi, נֶשֶׁר)*, quem olim pontifices Machabaei et postea pontifices synedrii praesides habuerant, obtinuit. Vicarius patriarchae vocabatur *ab-beth-din seu praeses judicii*. At praeter scholam hanc magnam postea minores ortae sunt. Legisperiti discipulos suos impositione manuum magistros seu rabbinos ordinabant. Tannaei in quattuor generationes dividuntur, eorumque praecipui sunt sequentes:

1. *generatio*, annis 50—90. Hierosolymis et postea Jamniae. Doctores partim ad scholam Hillelis, partim ad scholam Šammaj pertinent.

*Rabban Gamliel seu Gamaliel I. hazzaqen*, nepos (vel filius) Hillelis, magister S. Pauli apostoli, caput synedrii (nasi). Primus titulum *Rabban* (dominus, rabbi magnus) accepit, quem postea plures scholae principes gesserunt. In ethnicos (et etiam Christianos) indulgens.

*R. Jochanan ben Zakkaj*, sectator Hillelis, fundator et caput scholae Jamniensis, ibique caput synedrii.

*Ongelos* proselytus, teste Talmude Babylonico Gamalielis discipulus, paraphrasim Chaldaicam (targum) in Pentateuchum scripsit.

*Jonathan ben Uziel* e schola Hillelis, targum in prophetas priores et posteriores confecit.

Hoc tempore, utique magis inter ethnicos quam Judaeos vixit et scripsit celeberrimus historicus *Josephus Flavius* (nat. 37. p. Chr.), sacerdos, pharisaeus, et primo quidem dux exercitus Judaeorum pro libertate pugnantium in Galilaea, postea Romanorum amicus.

2. *generatio*, annis 90—130.  
*R. Gamliel II. Jamniensis* (d'Jabhnē) dictus (80—118), nepos Gamlielis I., successor Jochananis, scholae fundatoris. A Romanis *titulum patriarchae (nasi)* impetravit, et Judaeos manu forti in unitate retinuit.

*Eli'ezer ben Hyrkanos* scholam aliam Lyddae fundavit; midraš *Pirqê* falso ei adscribitur.

*R. Tarphon*, Judeo-christianorum adversarius (diversus tamen a Tryphone Justini M.).

Hoc tempore sub Hadriano *Aquila* (*Ἄχυλος*) Ponticus, proselytus versionem librorum ss. A. T. Graecam verborum tenacissimam confecit, quam Judaei halakhae conformem habent, et maximi faciunt, sed Patres reprehendunt. (Hic tamen Aquila non est ille Judeo-christianus, de quo in epistolis Paulinis fit mentio.)

*R. Jišma'el ben Eliša'* e genere sacerdotali. Septem regulas Hillelis hermeneuticas ad tredecim auxit. Schola ejus interpretationes Scripturae *midrašim halakhicos* scripsit, ore traditos.

*R. 'Aqibha ben Joseph* ex pastore unus ex maximis legis doctoribus factus, Jišma'elis adversarius, Simonis bar Kokhbae (vel bar Kosi-bae) falsi messiae, regnum Judaeorum prope restituentis (132—135.) praecipuus fautor. Ideo strages Simonis a Romanis victi multas persecutions etiam rabbinis et scholis attulit. Tanta erat 'Aqibhae apud posteriores rabbinos auctoritas, ut dicerent Toram melius ab eo, quam ab ipso Moyse intellectam esse. Revera est sophista ingeniosus, qui omne quod voluit, e Biblio deducere et probare, vel potius iis ingerere scivit; ad quem finem litteras, verba, sententias arbitrario mutat et permutat, imo, ubi opus est, regulas grammaticas fingit. Ita non mirandum, quod saepe contrarium ejus, quod evidenter dicitur, Lege probat. Erga gentiles indulgentior quam Jišma'el. 'Aqibha etiam halakhas colligit atque in ordinem redegit, et ita fundamenta mišnae posuit; collectanea tamen sua non descriptis, sed discipulis ore tradidit.

*R. Jišma'el* et ejus schola vetusto more halakham tamquam commentarium Torae adhaerere et consonare voluerunt. E contrario 'Aqibha vel potius ejus schola dicitur halakham valde multiplicatam a Torâ separasse, et fontem ac legem alteram a Torâ independentem, proprio ordine dispositam effecisse. Neuter tamen nec alterutrius schola halakhas litteris mandavit. Schola 'Aqibhae etiam *midrašim halakhicos* composuit, per plura saecula viva voce traditos.

Post seditionem Bar-Kokhbae schola Judaeorum Ušae fundata est.

3. *generatio*, annis 130—160. Schola R. Jišma'el et R. 'Aqibhae.

*R. Meir (Moses; Meir cognomen = illuminans) discipulus 'Aqibhae.* Collectionem mišnae ab 'Aqibhae coeptam continuavit et mišnam in partes divisit.

*R. Šim'on ben Jochaj*, 'Aqibhae discipulus, midraš halakhicum *Siphre* scripsit; ei liber qabbalisticus *Zohar* falso adscribitur.

*R. Jose ben Chalaphta*, cui chronicon Judaeorum *Seder 'olam* tribuitur, quoad formam certe recentius.

*R. Jehudâ ben Il'aj* auctor libri midrašici *Siphrae*.

*R. Nekhemjâ* prima *tosephtae* (alterius praeter mišnam collectionis halakharum) fundamenta jecit.

*R. Eli'ezer ben Jose Haggelili*, cui 32 regulae hermeneuticae attribuuntur, quas tamen non ipse constituit, sed ex praxi rabbinorum collegit. Inter has regulas jam duae qabbalisticae (gematrija et notaricon) inveniuntur

4. generatio, annis 160—220.

*R. Jehudā Hannasi* (princeps) vel *Haqqadosh* (sanctus), per excellentiam *Rabbi* vocatus, ab nepos Gamalielis I. Vixit annis 136—217. (vel ut alii volunt 150—210.) Ad usum auditorum, antiquioribus etiam collectaneis usus, halakhas collegit et ordinavit, anno 189., quae collectio *mišnā* appellata brevi post auctoritatem canonicam nacta, fundamentum est Talmudis. Dehinc omnes aliae halakhae extravagantes (barajta) vocatae sunt. Discipuli tamen *Jehudae* aliquas halakhas extravagantes postea *mišnae* inseruerunt. Disputatur, utrum *Jehudā* *mišnam* suam descripserit, an ore tradiderit et memoriae discipulorum mandaverit. Ceterum *Jehudā* auctoritatem patriarchae valde auxit, et omnem fere potestatem synedrii ei vindicavit. Sedem scholae sua et synedrii idem mutavit. Ab hoc tempore sedes scholarum praecipuarum *Tiberias* et *Diocaesarea* (*Sepphoris*) factae sunt.

*R. Chijja Senior*, toseptarum collectionem auxit et barajtas collegit, et fortasse *Siphram* composuit.

Post mortem *Jehudae Hannasi* et patriarchatus et scholae Palaestinenses imminui atque collabi, et harum loco *scholae in Babylonie* (praesertim a discipulis *Jehudae Babylonii* in patriam reversis) fundari ac florere coeperunt. A saeculo autem IV. sub imperatoribus orientis Christianis (Constantino M. et ejus successoribus) *Judei Palaestinenses* in paupertatem redacti et oppressi in Babyloniam emigrabant. *Judei Babyloniae* jam saec. III. ad formam patriarchatus Palaestinensis dignitatem *exsilarchae* (hebr. *roš haggaluth* vel aram. *reš galutha*) constituerunt. (Nonnulli causam collapsus scholarum Palaestinensium descriptionem *mišnae*, *targumim* et *barajtarum* dicunt, qua legisperiti et scholae superflui facti sint.)

3. — *Tertia aetas amoraeorum* (amoraim אַמּוֹרָאִים = oratores, interpres, explanatores) saeculis III—V. vixerunt, et a *Judeis* adhuc testes traditionis habentur. Partim in Palaestina, praesertim *Tiberiade*, partim in Babylonie, praesertim in scholis *Surae* et *Pum-Bedithae* docuerunt; Babylonii tamen praevaluerunt. *Palaestinenses* titulum *Rabbi* Babylonii titulum *Rabh* gerunt. Omnes maxime *mišnam* explanabant, et explanationes istae vocabantur *gemara* (perfectio), quae fortasse adhuc ore tradebatur. (Multae *gemarae* etiam a *tannaeis* descendunt.) Celebriores amoraei fuerunt:

*R. Uša'ja* (seu *Hoša'jā*) initio saec. III. Caesareae in Pal. vivens, barajtas collegit.

*R. Jochanan bar Nappacha* (annis 199—279.) Tiberiadensis in Palaest. Majmonides et alii multi compositionem *gemarae* ei tribuunt,

sed ut videtur, perperam. Ille dixit: »qui halakhoth describit, est tamquam qui Toram comburat.« (Cf. *Temura* bab. 14. b.)

*R. Tanchuma ben Abba*, Palaestinensis, saec. IV. *midraš haggadicum Tanchuma* scripsit.

*Rab* per excellentiam (*Abba* cognomine *Arekha* vel *Haarokh* = longus) annis 175—247. vixit, fundator est et primus rector scholae Surensis. *Midrašim* in Babyloniam induxit.

*Mar Šemuel* (160—254. vel 257.), astronomus et medicus, rector scholae in civitate *Neharde'a*.

*Rab* *Jehudā bar Jechezqel* (220—299.) fundavit scholam *Pum-Bedithae*.

*Rabbā bar Nachmani* (270—331.) rector scholae *Pum-Bedithae*. Interpretationes (*midrašim*) *Rabboth* perperam ei tribuuntur.

*R. Aši* (nat. 375. vel 367. † 427.) reformator et rector scholae Surensis; redactor *gemarae* dicitur.

*R. Abhina* (*Rabhina*) II. (annis 473—499.) rector scholae Surensis, ultimus amoraeorum. Compositionem *gemarae* ad finem perduxisse et saltem partem ejus descriptsse dicitur.

Anno 425. post Chr. sub Theodosio II. imperatore patriarchatus Palaestinensis cum Gamaliele VI. abolitus, et scholae Palaestinenses *Judeorum* fere omnino sublatae sunt. Studia tamen haggadica etsi imminuta continuata sunt.

4. — *Quarta aetas saboraeorum* (סְבּוֹרָאִים = cogitantes, scrutantes) saeculo VI-o viventium. Hi jam testes traditionis non habentur. Ultima redactio operum rabbinicorum: *mišnae*, *gemarae*, *tosephae* et aliorum ab his facta est. Imo multi praesertim *Judei* contendunt, opera illa antea ob prohibitionem descriptionis traditionum ore tantum tradita, ab his demum litteris mandata esse.

Prohibitionem hanc olim apud rabbinos exstisset, ex Talmude constat; sed quousque duraverit, et utrum absoluta fuerit, an tantum ad halakhām pertinens, utrum stricte observata, an interdum neglecta, jam olim disputabatur et hodie quoque disputatur. *Rashi* et multi recentiores (e. g. Jo. Morinus, S. D. Luzzatto, J. S. Bloch) asserunt, descriptionem et halakhāe et haggadāe primis aerae Christianae saeculis (imo a tempore Machabaeorum usque ad amoraeos inclusive) absolute prohibitam fuisse, et *mišnam* gemaramque demum a R. Jose (qui post annum 475. rector scholae *Pum-Bedithensis* fuit) et ab ejus successoribus sc. a saboraeis descriptas esse. Ipsa versio Biblorum dicitur, a nonnullis rabbinis vetita fuisse. Alii tamen praeente Majmonide censem, *mišnam* a *Rabbi*, gemaram Palaestinensem a R. *Jochanan*, *Babyloniam*

a R. Aši et R. Abhina scriptis mandatam esse, ergo saltem prohibitionem scribendi absolutam saeculo IV. imo III. (si non ante) jam cessasse. A saboraeis Talmudem tantum consummatum esse. Hanc sententiam rabbi Hispani, et ex recentioribus auctoribus Frankel, et plurimi eruditi Christiani tenent. Saec. III. vel II. a. Chr. talis prohibitio certe non erat. (Conf. Prolog. Eccli.) Ipse autem Talmud, quamquam multa scriptio vetitae affert documenta, ipsoque scribendi modo inordinato et disputationes verbales referente traditionem diuturnam arguit: tamen multorum rabbinorum antiquorum dictis et actis testatur, non tantum materiam haggadicam, sed etiam halakhicam saec. III., imo etsi rarius jam saec. II. descriptam fuisse. (Conf. Strack, Einleit. in den Talmud, Leipzig, 1894. 49. sqq.) Id tamen plerisque rabbinis contradictibus factum esse, scriptasque halakhas ad usum publicum scholarum admissas non esse constat. Prohibitio ergo circiter a 50. a. Chr. ad 200. post Chr. duravit, et ad publicum usum scriptae traditionis imprimis halakhae, pertinebat. Descriptio codicum haggadae et etiam halakhae pro usu privato non impediabatur. Versiones autem saltem generatim et absolute prohibitae esse non poterant, ut targumim et receptio versionis Aquilae testantur.

Ratio vetiti scribendi fuit, ut nemo praeter Moysen auctor traditionis appareret, ut traditio viva conditionibus temporum accommodari posset, et ne doctrina verbalis, scholae, ipsique legisperiti superflui redderentur. Materia tamen halakhica atque haggadica in dies crescente, memorialis traditio sensim impossibilis facta est. Ideo rabbini variis artibus oblivionem impedire conati sunt. Primum quidem opus dividentes, alias mišnae partes aliis memoriae mandandas committebant, qui eas continuo exercitio retinerent et in scholis ante alios recitarent. Deinde signis mnemotechnicis memoriam juvabant, voces halakharum primas vel praecipuas vocabulis vel versibus memorialibus comprehendentes. Tum nonnulli secreto ad studium privatum saltem essentiam halakharum et haggadarum describere coeperunt, qui mos paulatim in totam haggadam, mox in totam halakhā extensus, sensim toleratus, permisus, approbatus est; et quum scholae collabi coepissent, necessarius factus, denique ne traditio periret, universim receptus est. Scriptura tamen nec postea impeditivit, quominus collectaneis interdum nonnullae halakhae extravagantes insererentur.

5. — *Quinta aetas gaonum* (*gaonim* = excellentes, augusti) a tempore Mohammedanismi usque ad finem exilarchatus et scholarum Babyloniarum seu ad initium saeculi XI. extenditur. Mohammedani in Babylonia Judaeis satis favebant, etiam exsilarchae potestatem reliquerunt.

Surae et Pum-Bedithae scholae florebant, et centra Iudeorum idealia erant. Rector scholae Surensis ab exilarcha nominatus titulum *gaon* gerebat. At saec. IX. etiam rector scholae Pum-Bedithensis eundem sibi titulum per aemulationem vindicavit. Gaones Talmudem ut codex Iudeorum legalis esset, sanxerunt, et eorum tempore quaedam compendia et libri manuales Talmudis ad usum composita sunt. Saeculo IX. etiam gaonatus occidere, et sententiae rationalisticae inter rabbinos oriri coeperunt. Ex gaonibus nominari merentur:

*R. Jehudaj gaon* saec. VIII. qui epitomen Talmudis scripsit.

*R. Sa'adja ben Joseph gaon* (nat. 892., † 942.). Natus in oppido Fajum Aegypti, rector et decus scholae Surensis. Magnus Qaraitarum adversarius. Totum Ant. Test. e textu Hebraico in linguam Arabicam *transtulit* et commentariis illustravit. Praeterea sub titulo *Emunoth vedeoth* primam dogmaticam Judaicam (arabice) scripsit. Etiam introductionem ad Talmudem composuit et studia grammatica Hebraica exercuit.

Schola Surensis anno 948. septingentos annos nata exspiravit;  
at schola Pum-Bedithae permansit.

*R. Šerira* (930—1000.) magister scholae Pum-Bedithanae, in prolixia quadam epistola historiam scholarum in Babylonia, item originem ac compositionem mišnae memoriae prodit.

Cum filio ejus *R. Hai* vel *Haïa* († 1038.) etiam schola et gaonatus Pum-Bedithensis interierunt, pauloque post exilarchatus exspiravit. Scholae, quae mox in Hispania sub regimine Maurorum Iudeis faventium ad novam vitam resurrexerunt, publicam auctoritatem non amplius habebant.

6. — Adversus Talmudem, alteram Judaeorum legem constitutam insurrexerunt *qaraei* seu *qaraitae* (קָרְאִים = legentes sc. Biblia). Vocabantur etiam *bnê migra* i. e. filii lectionis. Hi omni traditione rejecta, Toram (miqram) pro unica lege habuerunt et Talmudem repudiarunt. Initium hujus sectae fecerunt Judaei ob persecutionem Mohammedanorum ex Arabia profugi, qui gentibus consueti separationem rabbinicam et observantias pati solebant. Accessit exemplum Mohammedanorum, inter quos hoc tempore etiam dueae sectae ortae erant: una Sunnitarum (sunna = regula, traditio), qui traditiones receperunt, altera Šiitarum, qui tantum qoranum acceptarunt et traditionem rejecerunt.

Jam ineunte saec. VIII. Talmudi restiterunt Serene in Syria et Abu Isa in Persia. Prior se Messiam, alter se Messiae praecursorem dixit. Proprius tamen qaritarum auctor est *Anan* (Chananjá) *ben David* Babylonius, doctor Talmudis, vir liberioris ingenii. Hic exilarchae dignitatem ambivit, quam quum ob animum Talmudi inimicum consecutus